



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

IC. Richardvs. LXXIII. Arch. XXVIII. Elector.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

virorum urbem parum amicam sibi aggressus, indulta à Joanne patruo privilegia rescidisset, nisi amicorum multorum preces obtitissent. Subinde partim gliscentibus, partim in apertas flammâs erumpentibus inter Hungaros & Turcas, inter Palatinos & Bavaros, inter Maximilianum Cæsarem & Venetos bellis, consiliis passim adhibitus publicis, cum Coloniam à Cæsare missus veniret inter Senatum & cives futurus arbiter, morbo ibidem ultimo prostratus Elector doctrina insigni, & pari virtute illustris, multorum dolore maximo ad plures abiit an. 1511. Sed. an. 8.

IC, RICHARDVS, LXXIII. ARCH.  
XXVIII. ELECTOR.

**R**ichardus è Greiffenclauiensium familia celeberrima oriundus, communibus omnium Canonorum votis in supremam Trevirorum Cathedram est evectus, Princeps tanta Sede, testibus virtutibus sanè rarissimis, nequaquam indignus. Archiepiscopatus sui initio Maximilianum Cæsarem Comitiorum causâ cum numerofo Virorum in Imperio Principum comitatu venientem excepit, cuius precibus Augustis, & plus quam armatis reconditum in ara principe Togæ Dominicæ, & primæ notæ Reliquiarum thesaurum luci publicæ reddidit, ingenti & vix unquam Treviris spectatæ hominum multitudini exhibitum: unde in urbem etiam manavit pestis, & Comitia Ubios translata sunt: literas paulò post Richardus à Leone X. accepit, quibus Maximilianum Imperatorem adversus Selimum Turcarum caput supremum, jam Persarum victorem Europæ formidandum excitari desiderabat. Verùm cum Franciscus I. Galliarum Rex Mediolanensium Ducatui immineret, huius utpote hostis potentissimi & proximi avertendi cura prævaluit in Cæsare, qui in Trevirorum cives, Gallorum partibus apertè faventes, severè animadvertit. Inde Maximiliano fatis concedente desideria omnium pu-

blica, præsertim Richardi in Comitibus præsentis, sunt conversa in deligendum Imperii Supremum Moderatorem, quem Status Carolus V. dixere, ringente amulo Rege Francisco. Reditum Augustâ Aquisgranum, Aquisgrano WORMATIAM, ubi Richardus Lutheri partes ad saniora consilia capessenda inflectere frustra conatus, & domum reversus, cum Francisco de Sickingen Viro nobili & armis assueto bellare coactus est. Is ipse Franciscus Lutheri placitis corruptus, & perinde Richardi exasse Catholici Electoris hostis effectus, abundè magnam militum copiam sub falso prætextu Cæsaris auspiciis conductam, repente in Diocesis Treviricam induxit. Verùm hic justas brevè dedit pœnas Electori Richardo, qui Gerlaco Isenburgico, quem suæ militiæ præfecerat Ducem, fretus, cum prætoriana cohorte Treviros ingressus, civibus ad sui suorumque propugnationem animos addidit: dùmque subsidiariæ Richardo copiæ adventare propius nuntiabantur, Sickingius terrore percussus, fusus, fugatus, propriis possessionibus exactus, & paulò post vitâ exutus est: Richardus verò spoliis locuples reversus, bellicis tormentis de victo hoste relatis Ehrenbreitsteinianam arcem instruxit, & auxiliorum vicem Palatino Duci, & Hassiæ Principi, adversus seditiosos agrestes pugnantibus, rependit. E Martii campis ad Comitibus Spiram, & inde Ratisbonam vocatus, cùm pro Hungaria & Germania strenuè conservanda rem egit, interea cives Trevires Lutheri dogmate malè corrupti, Clericis inaudita hæcenus onera imponi postulabant. Verùm Richardus ad propria reversus cives, alieno exemplo territos, suæque authoritate in speciem minimum compositos, eo tempore in officio continuit, annis sequentibus instar flammæ in apertum incendium erepturos. Denique post Comitibus Ubiorum pro Electione Ferdinandi I. in Regem Romanorum celebrata, morbo prostratus repentino, non sine dati veneni suspitione est mortuus Witlichii an. 1531. Sed. an. 20.

C. Joan-